



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

6. Contemptus religionis: vicissitudo fortunæ: victoria libidinum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

VI. (f) Sed cur focii Ulyssis navi de cælo fulminata, ob mactatos Solis greges, in mari periêrunt, ac solus Ulysses evasit? Illi contemptæ religionis pœnas dederunt; hic præmia cultæ pietatis accepit. Hic idem modò nudus, & ad littus ejectus inter frondes delitescit: modò auri & argenti dives multis acceptis fociiis & muneribus, in patriam dormiens exponitur, ob fortunæ vicissitudines, quas virum sapientem æquo animo perferre par est. Hic idem sumpto mendici habitu, consilio Palladis, post omnes procos cæsos, tranquillus in patria fuit, id est, extinctis libidinis ac voluptatum omnium stimulis, qui sunt quasi proci animæ nostræ, felicitatem tranquillæ conscientiæ, & prægustum illum æternæ beatitudinis consecutus est. Atque hæc de Ulyssæ Mythologica. Nunc Penelopen, uxorem eius, feminarum gemmam consideremus.

(f) *Contemptus religionis: fortuna vicissitudo: victoria libidinum.*

SYMBOLVM LXXIII.

Penelope casta.

Ex Homeri Odyssea.

Ethicè.

1. Uxor bona. 2. Casta. 3. Otium vitandum feminis. 4. Fides conjugalis.

Singularis pudicitia, formæ, ac fidei conjugalis hæc exemplar exitit; totis triginta annis, quibus Ulysses eius maritus abfuit, pro mortuo vulgò habitus, nullis aut parentum precibus, aut procorum pollicitationibus adduci potuit, ut fidem discedenti marito datam violaret, alterique nuberet. Cùm autem nobilissimi quique, magno numero juvenes, eius limina assiduè tererent, illamque singuli uxorem sibi postularent, sic ut tergiversanti, vim jam jam illaturi viderentur; tantum moræ ad deliberandum impetravit mulier tam astuta, quàm casta, quantum telæ, quam in manibus habebat, absolvendæ satis esset. Verùm de nocte retexens, quæ interdiu texerat, procos in adventum Ulyssis distulit; qui post tot annorum intervallum domum redux univros è medio sustulit.

Ggg

Ethica.